

nere, vetusta consuetudine oblitterata, cogitaverat. Itaque ad statas ejus diei ceremonias Galliae, Lusitaniae, ac Venetorum legatis excitis, cum reliquos eam ob causam interesse nolle Theupolus cognovisset, ut Reipublicae dignitatem tueretur, sibi quoque abstinendum, neque Menapio eo loco cedendum existimavit, quem regii legati, inter quos Veneti censebantur, obtinebant. Ea re perturbatus Pontifex vehementer est con- questus, atque Regum legatis, qui prope ad Pontificis pedes constant, post purpuratos tribuere subsellia meditabatur; id- que ita ejus animo infederat, ut & Romae cum Theupolo, & Venetiis per Nuntium cum Senatu ageret; ut decreto Res- publica acquiesceret, suoque exemplo reliquos ad sibi obtem- perandum incitaret: Venetorum exemplo reliquos excusationes necere; a Senatus autem ea in re consulto nullo pacto dis- cessuros. Pontifici vero saepius eadem efflagitanti ita respon- dendum Patres censuere: *Neque speciosa nomina quaesivisse, neque antecedendi studio Rempublicam exarsivisse unquam, sed de eo tantum dignitatis gradu, quem sibi majorum gesta, at- que in rempublicam christianam merita pepererant, tuendo so- licitam semper extitisse. Ceterum ut observantiam atque obse- quium erga sanctissimam illam Sedem, atque ipsummet Gregorium etiam atque etiam patefaceret, Senatui placere, ut ejus orator in eo, quem sibi collibuisse, loco consisteret, modo in eodem quoque aliorum Regum legati essent, a quibus nunquam se- juncta Respublica, pari cum illis auctoritate ac privilegio usa fuerat. Senatus decreto minime acquiescens Gregorius, suo apud Rempublicam Nuntio praecipit, ne publicis statis cere- moniis amplius, uti moris est, cum Principe intersit. Itaque propinquo divi Marci, Reipublicae tutelaris, die, qui dies summa civitatis laetitia concelebratur, Patresque & oratores epulo a Principe excipiuntur, cum biduo antea invitatus fuisset, ad Collegium adiens; *jussum sibi, inquit, ne cum Prin- cipe ac Senatu in publicum prodeat, quod Reipublicae legatus in eum, quem sibi Pontifex locum designaverat, se conferre abnuisset.* Rei novitatem se valde Mocenicus mirari, ait; eo Pontificis consilio otiosorum malevolorumque hominum fer- monibus materiam suppeditari: hortatur, ne parvam istam diffidiorum scintillam, ex qua tamen nonnunquam magna in- cen-*

Gregorii
Pont. consi-
lium de loco
oratoribus
post purpu-
ratos tri-
buendo.